

Bibliothèque numérique

medic@

**Sue, Jean-Joseph - candidat /
Bordenave, Toussaint - président. -
[De sussusione]**

1751.

***Paris : Typis Delaguetta Regiae
Chirurgorum Academiae
Typographi
Cote : ms 2342, n°10***



D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



MAXIMUM vitæ oblectamentum visio. Ipsâ quid
dulcius, Quid utilius? Læsâ vel deperditâ quid
injuvanti, quid molestius? Cæcis non ridet Na-
tura, sereni nec redeunt nec lucent dies, Anxietas
& Tristitia comites. Quàm plurimos inter Oculo-
rum morbos frequentius sævit Suffusio seu Cata-
racta. Hanc armis Chirurgicis debellaturi, Oculi Structuram
prosequemur.



EXQUISITISSIMUM Visus organum ab externis tutandum injuriis natura sagax firmiori ossium circumvallavit thecâ : hanc Orbitam vocant. Figuram æmulatur conoideam , apice versùs axem corporis tendentem , basi verò quasi divergentem. Hinc latius patet oculorum usus , corporis que incolumitati tutius invigilant.

PRÆTER partes oculi globo proprias aliæ annotantur plurimæ , inter quas præsertim Palpebræ. Iplis superimponuntur pili denfi , extrorsum & obliquè inclinati , arcuato ordine dispositi : Supercilia dicuntur.

PALPEBRAM superiorem Musculus peculiaris , utramque movet Orbicularis. Cartilagineo tractu , curvato , obliquè disposito utrumque muniuntur Palpebræ , è cujus limbo exteriori prodeunt pili rigidi in hac & illâ variè curvati : Cilia innotescunt. Intrà ipsammet cartilaginis substantiam pullulant glandulæ Meibomii sebaceæ , subflavæ , plurimis orificiis humorem crassum , ceruminosum eructantes , quo partes illæ inunguntur.

Oculi globo adhærent Palpebræ , mediante Adnatâ , membranâ tenui , pellucidâ , mobili , vasculosâ , ex Perioftio , ut vulgò putant , oriundâ , suâ parte mediâ orbitæ connexâ ; interiùs Palpebris , corneæ anteriùs obductâ. Inter Adnatæ substantiam decurrunt ductus Hygrophthalmici , mutuatum à glandulâ lacrimali , conglomeratâ , versùs externum oculi canthum intrà orbitam in depressione majori sitâ , humorem limpidissimum Palpebras inter & oculi superficiem deponentes. Hoc humore benigno sordes abstergantur , irrorantur partes , lubricantur , à concretionibus servantur.

DETERMINATUS Palpebrarum concursus , Tarforum figura ita inclinata ut ipsis etiam clausis adsit canaliculus , nictatio continua , ipsiusmet aëris pressio , humoris ceruminosi præsentia , spatium majus in interno oculi cantho mediante carunculâ , viarum lacrimarum cum siphunculo paritas , juxtâ Hydraulicæ leges liquoris effluxum promovent versùs Puncta Lacrimalia , quæ in extremo & interno cujusque Palpebræ angulo sita , versùs saccum in superiori canaliculi nasalis parte positum concurrunt. Hic saccus in ductum membranaceum , obliquè situm , intrà nasi cavitatem sub osse turbinate inferiori hiantem desinit.

Oculus globum diversimodè movent, dirigunt, contorquent, prout simul vel seorsim agunt, Musculi Recti & Obliqui, inter quos plurima jacet pinguedo, ex quâ motus facilior & celerior, vasis, nervis, partibusque intrâ orbitam contentis stratum mollius.

HUMORES membranis inclusi constituunt oculi globum, qui non accuratè rotundus anticè leviùs protuberat. Inter membranas communes prior notatur Cornea, ex pluribus lamellis composita, in anteriori parte sensim gracilescens, prominens & pellucida, in posteriori densior & opaca: hanc Scleroticam dicunt.

CHOROEIDES altera in duas lamellas dividitur. Illarum prior Scleroticæ subjecta, vasis innumeris diversimodè intortis ditata; interior & Ruyschiana, tenuis, liquore nigricanti obducta, humori vitreo contigua. Ad Orbiculum usque ciliarem concurrunt ambæ, sic que velum illud efformant laxum, orbiculare, sub Corneâ apparens, spatio quodam nigricante seu Pupillâ perforatum. Pars ejus anterior variis coloribus adumbrata Iris dicitur: Posterior atro imbuta pigmento, intus striata, circulo arterioso & venoso Nuckii irrorata, duplici fibrarum serie instructa, pro vario luminis gradu nunc dilatatur, nunc constringitur.

TERTIAM Oculi membranam dat Medullosa Nervi Optici expansio ad Lentem usque Cristallinam protensa, mollis, albescens, leviter pellucida, plurimis vasis intertexta. Membranis oculi ita inseritur ut à Pupillæ centro sit devia, unde versùs Retinæ ingressum directè non tendit Axis opticus.

INTER oculorum tunicas excipiuntur humores varii. Anteriores Oculi partes, seu spatium intrâ Corneam & Lentem Cristallinam induas Cameras divisum occupat Humor Aqueus, pellucidus, oculi convexitatem promovens, ex vicinis arteriosis oriundus, facillimè reparandus.

MEDIUM obtinet locum Lens Cristallina, solida, utrinque sphaerica, posticè tamen magis convexa, Cistide peculiari involuta. Hæc membranæ vitreæ propago.

IN fundo oculi stat Vitreus Humor, diaphanus, aqueo densior,

4
vitro fuso similis, anteriori parte concavus, alioquin rotundus;
in plurimas cellulas mediante propriâ membranâ divisus.

RADIOS Luminis diversimodè refrangunt oculorum humores, rectaque non foret visio, nisi juxta Opticæ & Dioptricæ leges, radiorum ab objectis emissorum fieret æqualis concursus suprâ Retinam, quæ, licet dissentientis Mariotti adverfetur autoritas, primum visus organum probatur.

CÆTERUM cur illi Myopes, hi Presbytæ? cur objecta emittens posita vel minora, vel confusa appareant? Ratio ex Mechanicâ partium petenda.

EX CHIRURGIA.

QUANTA olim extiterit controversia circâ suffusionis naturam & sedem, curiosus morborum indagator nemo non novit; interim quod Græci *σφοδρῶμα*, Suffusionem Latini, Cataractam alii nuncupaverunt, illud ut plurimum Lentis Crystallinæ obscuracionem & vitium audit cum mutato Pupillæ colore.

AB hoc-ce affectu vix differebat Glaucoma Veterum; nos verò, ut omne tollatur dubium, Glaucomatis essentiam in Humoris Vitrei vitio cum glauco & splendenti Pupillæ colore ponendam cum Brissæo & Heistero asserimus. (a)

OPACITAS Humoris Crystallini, five ab obstructione vasorum, five ab eorum concretionem, Suffusionis causa proxima statuatur.

QUIDQUID calorem in oculo vehementer auget, vasorum que vim intendit, ut inflammatio; Quidquid etiam liquidorum inspissationem creat, circulationem impedit, & vasorum obstructionem vel disruptionem efficit, ut ictus, viscida sanguinis, vel Lymphæ prava Diathesis inter causas remotas annumerandum.

(a) Videantur quæ hac de re scripsit celeberr. Heisterus, in tractatu de Cataractâ, Glaucomate, & Amaurosi, edito Ann. 1713.

PELLICULAM in Humore Aqueo fluctuantem, Pupillamque obvelantem ex crassioribus Humoris Aquei particulis concretam tanquam fictitiam habemus.

CATARACTAM ab humore acido productam asserit Antonius; (a) Huic verò semper assentiendum minimè arbitramur.

CATARACTARUM species quælibet ut vera, spuria, vel complicata habeatur, licet quàm plures alias mutuetur disparitates, ratione coloris, temporis, &c. unde recentes quædam, quædam inveteratæ; aliæ fixæ, aliæ fluctuantes; simplices illæ, illæ complicatæ; denique lactææ, caseosæ, purulentæ nuncupantur.

PUPILLÆ mobilitas, color margaritæ similis vel saltem ab hoc parùm recedens, lucis à tenebris non verò colorum distinctio, solius Cristallini vitium, veræ Suffusionis sunt signa; spuriam demonstrant imperfecta Pupillæ opacitas, obscuratio in uno tantùm vel altero puncto, Lentis vacillatio, imminutio, collectio materiæ lactææ, caseosæ, purulentæ.

VISUS hebetudo, mutatio incipiens coloris nigricantis Pupillæ in alium quemlibet colorem, visio corpusculorum, & filamentorum per aëra volitantium, imperfecta objectorum vel luminis perceptio, opacitas quædam sensim augescens, incipientem & immaturam; mutatio perfecta coloris Pupillæ, opacitas post Pupillam apparens, lucis & tenebrarum distinctio tantùm, maturam, confirmatam quæ Suffusionem indicant.

QUIBUS adest Pupillæ immobilitas, coarctatio vel figuræ depravatio, iis Cataracta concreta est cum Pupillâ, difficilioremque admittit curationem; unde à variâ Suffusionis specie, tempore, causâ, colore, simplicitate aut compositione, ægrotantis statu, ætate, oculi dispositione varia instituenda Prognosis.

CATARACTÆ vetustiores aut inveteratæ, modò alio insigni vitio non sint complicatæ nec cum Iride vehementer concretæ, ad operationem aptæ, imò aptiores probantur.

(a) Confer, Antonius Maitre-Jan Chirurgus Regius, nec non Peritissimus Ophthalmiater, capit. V. & VI. Traité des Maladies de l'Oeil.

IMPLICATIS cum Guttâ serenâ seu Amaurosi, oculi Atrophia, Humorâ Aquiei vel Corneâ vitio, Pupillâ dilaceratione, splendentibus seu Glaucomate, nulla nisi periculosioris alicuius Medicinâ potest admitti.

INTER rariores oculorum affectus sint Cataractæ, ut aiunt; membranaceæ tantum, nonnunquam enim tunicæ quibus Lens cingitur obscurantur; (a) hæ verò Acus efficaciam parum experiuntur.

IN Suffusione incipienti, à lentâ viscidâque materiâ vel à causâ internâ, curatio licet rara ope medicamentorum tentanda ut possibilis.

SI adsint tussis, coryza, sternutatio, vomitus, dolores capitis vehementiores, ab operatione abstinendum, donec evanescant.

CATARACTÆ legitimæ & maturæ curatio ab Acus beneficio præsertim speranda, exitusque prosperi spes minus in angustis, modò præmissa ritè fuerint remedia generalia.

SI fortè in frustra diffiliat Suffusio, unum post alterum prudenter deprimendum, cum Guillemæo & Paræo suademus.

OPERATIONE ritè peractâ, luci non detur aditus; spleniorum collyrio imbutum imponendum; oculus uterque deligandus. Quies, potus lenis nonnunquam anodinus, diætâ tenuis, sanguinisque missiones plus minùsve repetitæ imperanda.

SI rursùs ascendat Suffusio pristinumque occupet locum, elapso temporis quodam spatio, operatio iterum instituenda, submersio tentanda, imò incisâ Camerâ posteriori extrahenda Lens suffusa.

INTER operandum aliquid sanguinis effluit quandoquè, & humores inficiuntur; collyrio vulgari, vel fomento penetranti resolutio committatur.

(a) Vid. Acta Reg. Scientiar. Academiæ, Ann. 1722. Tunicas enim lentis nonnunquam obscurari demonstrat M. Morand Chirurgus Parisiensis, Regiæ Scient. Academiæ, Londinensis &c. Socius, Regiæ Chirurg. Academiæ Secretarius.

Si Cristallina Lens exsiccata vacillet, dilatataque Pupillâ, transeat in Cameram anteriorem; incidenda Cornea, extrahendaque Lens suffusa (a).

(a) Faustis Avibus hanc operationem perfecit primus M. Petit Chirurgus Parisiensis Reg. scientiar. Academiæ socius &c. sic que exsiccatum Cristallinum, incisâ prius Corneâ, eduxit, visumque restituit; uti testantur acta scient. Paris. Academiæ. Ann. 1708.

Has positiones, DEO JUVANTE, & præside M. TUSANO BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur JOANNES - JOSEPHUS SUE, Vinciensis, Artium Liberalium Magister & in Regiâ Pic-torum Academiâ Anatomie Professor.

P A R I S I I S;

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabbati 7^a. Augusti à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam. Anno Domini 1751.

P R O A C T U P U B L I C O

E T

M A G I S T E R I I L A U R E A :

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ
Typographi 1751.

2
C. Haller, I. de...
in...
...

(1) F. Haller, I. de...
in...
...

H. Haller, I. de...
in...
...

P A R I S I I S

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLA

Die Sabbato 7. Augusti à septuaginta post meridiem ad
...

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLA

MAGISTERII LAUREA

...

Typographus Regis Chirurg. Academiæ
Typographus 1711